

DE OVIDII EXSULANTIS DESIDERIO

Por PEDRO PALOP FUENTES

COMMENTATIO IN OVIDIANO CONVENTU

Mihi, honoratissimi domini, certum est apud vos, sapientiae notissimae viros, verba humiliter facere, ut in hoc magno consessu meam commentationem habere possim, quae de Ovidii exulantis desiderio tractabit; omnia autem em consilio expónam, uti meam sententiam parvi aestimetis, quaedam vero ex ipsius poetae operibus decerpta, ad commentationis titulum spectantia, libenter audire velitis; clarissimus enim inter omnes gentes Ovidius exstat post viginti fere secula perennitatis praestantissimo viro ob ingenium debitae.

Maximo imprimis mihi gaudio est Traiani imperatoris nomem his verbis complecti, qui Italicae, in Hispania, natus recordationem iucundam Beticae provinciae meo affert animo in longinqua terra, in vetere Dacia, Patria vestra, maximis ornata virtutibus. Vere gaudeo praesentiam cordubensem mihi ab Achademia de Scientiis, Litteris Artibusque Nobilibus commendatam esse ob camque legationam mihi etiam quam maximun honorem concessum; nomen enim Romania omnibus Latinitatis gentibus adaequatur: quasi filia uberrima Romae, Orbis Dominae, Romania conspicitur ac nominatur; ea in Europa linguis romanicis perstat, inter quas haec vestra verum est monimentum illius Scipionum sermonis, qui totum sibi mundum subiecit Patriamque diversis gentibus fecit unam, ut ait Rutilius Namatianus; is vixit Romae amore captus suoque in animo nomen

Urbis, ut symbolum, habuit. Hodie pristinae virtutis memor, Dacia Provincia, Europae natio inter caeteras conspicua, Ovidianum exteris populis nuntiavit magna cum spe studia classicae Latinatis inter homines, quibus Ovidius cordi est, magnopere fovendi.

Hic, domini, sumus vestro consilio parentes, cum credamus omnes nihil usquam nobilius exitisse hac vestra diligentia ad communem sedem inter gentés centum populorum faciendam. Hodie, dico, vera Mater et Magistra nobis omnibus adstantibus est Cathedra Philologiae Classicae Universitatis Bucurestiensis: ea nos advocavit atque admonuit, ut, Ovidii memôres, eandem terram, in qua novem circiter annos Roma relegatus vixit, ei levem esse desideremus. Iacet ille vibiscum, sed, quamvis mortuus, manet manebitque, dum homines studiosi, qui maximi poetae opera ad sidera tollere contendant, alicubi numerentur.

Cogito, ut meam commentationem incipiam, desiderium Ovidii mimun sic Tomis testigisse, ut eum falsa scribere coegerit de coelo vestro, quod tenuissimum est, maleque dixerit de ventorum salubritate, sed iniuste, nam Romania supra meridiem posita, vergens ad Pontum Euximum, Mare Nigrum hodie nuncupatum, campis, satûris, referta, terra est peramabilis atque itinere peregrinatum dignissima; si his diebus libenter ad vos viam ex Hispania feci, oro Deum hoc iter, quamquam primum extremum non sit, sed saepe saepiusque vestro hospitio, meae patriae propter linguam simillimo atque fraterno, delectari possim. Contubernalibus meis cordubensibus dicam cum rediero, aliam esse Europae regionam quae, ut Baetica nostra, laetissima sit quaeque adeuntibus offerat fructus terrae varios potioni ciboque aptissimos; aera etiam Romaniam habere, quae ad superos spectantibus adrideant. Quid autem dicam de Mari litoris magnam partem orientalis adlluente visuque mirabilia permulta preabente? Gratissima tempestas omni Daciae tribuitur, quae etiam (magno cum honore dico) femenis gaudet ita pulcherrimis, ut mihi subeant Horatii verba, qui oculorum vigorem et ictum notans, scribit:

Ah, quibus intemptata nites!

Hoc est, clarissimi, quod ego adueniens cor sursum levavi, cum scirem vobis ad onus vitae ferendum nihil melius esse hisce teneris uxorbis, magna dulcedine notis, utpôte quas terra nutrix edirerit mundo.

Forsitan, cum complector animo meam comentationem, nimium erga uxorem Ovidii amorem primam desiderii causam fuisse video; Fabiam enim, tertiam sponsam, tantopere in exilio desideravit, ut innumeris epistolis uxoris recordatio quasi pessimum malum ab eo exprimat; in decima elegia libri IV scribit (V. 73-74).

**Utque sit exiguum poenae, quod coniuge cara,
sastinuit coniux exsulis esse viri**

Et in undecima tertii libri desiderium animum advertimus:

**Utque sit exiguum poenae quod coniuge cara,
Quod careo patria pignoribusque meis (V. 15-16)**

Scimus etiam relegationam inopportune Ovidio ab imperatore decretam, nam illo tempore nomen poetae quasi mythus erat eiusque scripta ab omnibus studiosissime colebantur; sermo amicis gratus atque ipsius domus prope Capitolium sita focus erat verae caritatis et gaudii inter omnes familiae participes, qui coincitissime vivere videbantur. Avus erat Ovidius, cum nepotes una ex filia duos haberet (Eleg. IV-14-75-76):

**Filia me mea bis prima foecunda iuventa,
sed non ex uno coniuge, fecit avum.**

Nepotum amore molliter acriterque homines tanguntur, quorum tanquam patres maiores sunt a quibusque spes nominis posteritati tradendi maxime augetur. Cicero in oratione pro Archia poeta hanc sollicitudinem omnium mortalium animis insitam extollit.

Tertia mihi causa saevi desiderii eadem Ovidii domus ob propinquitatem cum Capitolio videtur, quod romanis nominis vim etiam excutiebat in mente. Si Rutilio Namatiano, quem supra nominavimus, omnibusque civibus, qui eandem aetatem degebant, Roma maximo erat ornamento magnoque plausu Urbis nomen ubique celebrabatur quibus laudibus Ovidius Domam extulisset, si scriptis suis operam, ut mores colerentur, dedisset Quidve de Augusti urbe scripturus fuisset?

Desiderium igitur auxit inter extremos Getas situs domus frequentatae: (Eleg. III.^a I-27-31).

possimus multum temporis feliciter cum Getis vixisse. Quaedam de victus moderatione in exilio nobis reliquit:

(Pont. I-10-30-32).

**Seis mihi quam purae paene bibantur aquae;
non epulis oneror, quarum si tangar amore,
est tamen in Geticis copia nulla locis.**

Quid autem de piscium diversitate dicamus, quos in Halieutica poemate enumerat?— multisque de aliis certiores nos fecisset, si carmen finitum nobis dedisset. Saltem igitur piscibus quam variis in Ponto alebatur, quorum aliquos carnibus suis gratiores gustui esse multis hominibus edentibus scimus.

Hoc vere vobis dico, ovicula Sturionis, piscis Maris Nigri, Caviar appellata, magni aestimari atque in Hispania quam plurimo venire.

Praeterea si Romaniae tempestatem cum ipsa Italica conferimus, nullo modo Ovidio credere possûmus:

(Pont. I-3.^a 49-52)

**Orbis in extremis iaceo desertus arenis,
fert ubi perpetuas obrûta terra nives:
non ager hic pomum, non dulces edûcat uvas,
non salices ripa, roboramonte virent.**

Haud scio an poeta tantum parva loca Tomis adiuncta viderit, nam si uberrimos futurae Daciae campos percurrisset, minime hos versus scribere potuisset, cum ponte sua Sarmatica terra ob situm caelique positionem foecundissima sit.

Ille uxoris vix oblitus desiderium propter continentiam auxit, quam sibi paene impositam, amore ob relegationem repente fracto, exprimit.

(Pont. I - X - 33-34)

**Nec vires adimit Veneris damnosa voluptas;
nom solet in moestos illa venire toros.**

Nullam autem rem, ut alia praeteream, tanti fecit Ovidius in exilio quanti Romae magis magisque renascentis memoriam, quae sibi angenti

Iamque quiescebant voces hominumque canumque.

Lunaque nocturnos alta regebat equos.

**Hanc ego suspiciens et ab hac Capitolia cernens,
quae nostro frustra iuncta fuere Lari,
inquam...**

Quarta vero causa ex priore colligitur: amicos multos Ovidius Romae numerabat, donec felix erat. Immo, ante relegationem felicissimus habebatur, ut iam diximus; postquam Patria semotus erat, tristitia animam invasit, quod nihil ei peius fuit eo quidem tempore incitiam incolarum, qui nomen tanti poetae omnino in Ponto ignorarent; quomodo Ovidius id pati potuerit non facile intelligitur, cum ipse suam immortalitatem cecinerit:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

"Pelignae gentis gloria dicar ego".

Id in memoriam revocans iustaque erga Ovidium admiratione sublatus Angelus Palititanus, poetae commentator, in medio Aevo versus fecit, quos vestrae sententiae concedo:

Et iacet Euxinis vates romanus in oris,

romanum vatem barbara terra tegit;

terra tegit vatem, teneros qui lusit amores,

barbara, quam gelidis aluit Ister aquis.

Nec te, Roma, pudet, quae tanto inmitis alumno

pectora habes ipsis barbariora Getis.

Sed his verbis minime adsentiri debemus; melius est nos dicere tantum sibi gratiae Ovidium promeruisse inter incultas nationes tantumque etiam studii bene praeclareque agendo, ut Getae omnes Ovidii sermone et habitud magnopere delectarentur eoque amicitiae ab illis processum esse, ut italo etiam aceto poetae fruerentur Tomitanique in eius obitu lacrimas tenere non potuissent atque comites certatim corpori sepe liendo fuissent.

Cum Ovidius moribus apprime honestis et mirifica facilitate ad hominum ingenia sibi concilianda esset, Geticum didicit sermonem nobisque omnibus constat eorum lingua quaedam poemata scripsisse laudesque Caesarum Thomitanis getico versu decantavisse. Haec vitae mos cum tam remotis populis eius desiderium minuit atque mollivit, ut adfirmare

desiderio erat. Ipse saepe aliud suis versibus peius ad relegationem fuisse asserit. Carmina quidem Ovidi omnibus romanis ante discessum notissima erant; ideo vera causa non fuere:

(Trit. II - 207-8)

**Perdiderint cum me duo crimina, carmen et error,
alterius facti culpa silenda mihi est.**

(Pont. II - (V. 73-76)

**Neve roges, quae sit stultam quam scripsimus artem,
innocuas nobis haec vetat esse manus.
Et quid praterea peccarim quaerere noli,
ut pateat sola culpa sub arte mea.**

Nihil his verbis mihi certius videtur, sed verum sensum aperire, vestra venia, in animo habeo: Augustus viribus omnibus contendit, ut suum seculum erudiret ac bene moratum faceret, repêrens exactum tempus et pristina Romae exempla, quae digna omnium admiratione iudicaret. Maximis poetis atque historicis nixus propositum consiliū cōsequi rebatur; mores restituendi erant ab scriptis optimorum, qui, tamquam vitiōrum medicamina, opera sua posteris praebere debebant: benedicere de Roma ac paene divina Urbis initia canere scriptores magno lectorum plausu atque laetitia conati sunt. Unus Ovidius hanc imperatoris sollicitudinem curamque neque adiuvit neque fovit libellis amatoriis, quos primos iuvenis redegit. Poesis Ovidii, ab Alexandria orta, ars pro arte erat ac locus literarius omnibus videbatur nihil ad morum sanctitatem proficiens.

Post Catullum, Tibulum et Propertium, qui vero de amore scripserant amatasque puellas ex corde cecinerant, Ovidius aduenit, qui tantae fuit artis in versibus faciendis, ut per scholam tantum et disciplinam multos eorum scriberet innumeris romanis, qui nimiam miri ingenii facilitatem laudabant, quamquam minoris farecent Ovidium quam eximios elegiae cultores illius aetatis poetas. Mehercule, si Sulmonensis Fastos ante quam amores scripsisset aliaque sui numinis opera eiusmodi fuissent, perbene Imperator eum adamasset errorique saepe dicto pepercisset.

Mors subita Iulii Caesaris, qui temporum gradus non bene metitus est neque Instituti paruit, Augustum admonuit ut vitam cum Principatu, ficto antiquitatis studio, retineret. Si Ovidius carmina, ut exilii

causam, nominat, vere dicit, sed hoc tantum sensu, de quo nunc agitur; se enim neque operam imperatori dedisse neque eius pretium fecisse intellegebat. Poesis sua, magnam partem iuvenilibus alacritatibus consecrata, mores corruptos, Augusti sententia, alebat; imperator tantum antiqua miratibus placere cupiebat, quamvis ipse aliter cogitaret et veram tegeter ambitionem, quae maxima fuit; moriens amicos adstantes rogasse fertur num bene vitam, tamquam persona tragica, egisset; si ita esset, omnes exitum celebrarent.

Relegatio iniusta Augusti iam senescentis iussu decreta est quasi poesis Ovidianae damnatio, quod, se invito, legeretur. Sed Ovidius sic mirifica elegantia omnes caeteros anteit, ut vatem tantum atque Poesim praestantissimam iudicare debeamus. Nihil fuit cur mores curaret, cum eius versus esset copiosus tali modo, ut impetum retinere ei fas non fuisset:

**Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos:
Quidquid conabar dicere, versus erat**

(Tris: IV - X - 25-6)

Lacrimas rerum omnium iocunde et venuste hausit; ideo nimiae facilitati indulgit, eo autem ingenio, ut de Ovidio melius quam de alio notissima verba, nemine discrepante, referre possimus:

Summa Ars celavit artem.